



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

III. De virtute operatiua accidentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

Aristoteles numquam actionem sine motu cognouit, ideo definitionem cause efficientis dedit per motum, & quietem, nos autem, qui actionem creatiuam, & plures alias actiones, precipue ad accidentia terminatas, quibus non competit ratio motus, agnouimus, per principium motus, principium totius actionis debemus intelligere, quid vero significetur nomine quietis explicui Controuers. 6. Punct. 1. inter exponendam naturam definitionem.

9 Causalitatem principij effectiui in illius definitione explicuit Aristoteles, motum videlicet, per quem principium effectiuum actu mouet, seu efficit, cum vero dixerimus principium effectiuum debere sumi in ordine ad plures actiones, quæ motus non sunt debemus effectiuo principio tanquam veram causalitatem non solum motum, sed etiam actionem assignare, quam etiam designauit Aristoteles dum definiuit actionem: *actus agentis ut agens est.* De natura actionis dicam Controu. 12. Puncto 1.

10 Causa efficiens diuiditur in primam & secundam; causa prima est à qua omnes dependent effectus, cum ipsa à nulla alia causa dependeat; secunda dicitur, quæ dependet ab alia causa, & à qua dependent aliqui effectus. Rursus secunda diuiditur in moralem, & physicam; physica dicitur, à qua effectus per verum influxum dependet; moralis, quæ physice non attingit effectum, sed in causa est, vt alia causa illum attingat, sicuti consulens, rogans, vel mandans; Physica diuiditur in principalem, & instrumentalem; quomodo hæc membra inter se differant, non omnium eadem sententia, varias explico Punct. 5. Principalis iterum subdividitur in vniuersalem, & particularem. Vniuersalis quæ cum pluribus causis inter se specie diuersis ad plures concurrat effectus specie diuersos. Particularis, quæ cum aliis concausis determinatis certos sibi præscribit effectus. Deinde causa principalis alia vniuersa, alia æquiuoca; vniuersa dicitur respectu effectuum eiusdem speciei cum principio; æquiuoca respectu effectuum diuersæ speciei. Demum alia est causa libera, alia necessaria; causa libera est quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari; necessaria dicitur, quæ positis requisitis ad operandum, non potest non operari.

PUNCTVM II.

Statuitur virtus actiua in causis secundis.

I **A**udiendi non sunt auctores, qui dicunt in causis secundis non esse virtutem operatiuam, sed Deum ad præsentiam illarum effectus producere, quæ sententia ex Trident. efficaciter reicitur. Damnat Trident. sess. 6. can. 4. illum, qui dixerit nostrum arbitrium nihil operari; sed habere se veluti quoddam inane instrumentum: ergo constat, ex Trident. nos effectiue operari actus spectantes ad nostram iustificationem, & non nos habere merè passiuè: ergo ex Concilio constat nobis inesse actiuam virtutem ad actus nostræ voluntatis. Secundò, eandem conclusionem traditam à Concilio, quam modo propugno, ratione ostendo: Homini inest liberum arbitrium, & se liberè determinat ad hanc operationem laude, & illam vituperio dignam: ergo homo effectiue elicit suam operationem, alias non esset liber, neque se determinaret, sed illum determinaret Deus, qui operationem produceret, neque illi posset dari laus, vel vituperio operatio, quæ ab illo non efficitur, sed à Deo, qui pro sua libertate illam produceret nullo habito respectu ad libertatem hominis, quæ illi non inesset, si non effectiue actus voluntatis produceret. Dices hominem esse dignum laude vel vituperio, quia Deus ad præsentiam illius producit hanc, vel illam actionem. Contrà: homo ex se indifferens ad actionem bonam vel malam, vel producit aliquid, ex cuius determinetur Deus ad producendam hanc actionem bonam, vel nihil producit, sed Deus ad præsentiam hominis indifferens ad vtramque actionem pro sua libertate producit, quam vult. Si primum dicas, iam concedis homini virtutem actiuam: si secundum, conuinceris hominem non esse laude dignum hic & nunc ex eo, quod Deus producat actionem honestam, quia præsentia hominis non magis determinabat Deum ad actionem honestam, quam inhonestam producendam.

Operationes aliorum brutorum effectiue ab ipsis procedere manifestè ostenditur, si enim motus non procederet ab ipso animali, quomodo equus bello instructus commoueretur? quomodo asinus ad sonitum huius vocis agitaretur, & ad illius sonitum quiesceret? numquid determinatur Deus vocis sonitu, vt motu, quietemve animalis producat? quis amens hæc diceret? Secundò animalia motu defatigantur: ergo illum producant, non enim defatigarentur si nihil agerent, neque cum homine congruè actum esset, si defatigaretur actione à Deo exhibitâ; & virtutem operandi Deus sibi præriperet, hominique laborem, & defatigationem tantum fuisset impertitus.

De aliis effectibus vulgo eadem conclusio probatur, quia si ignis non esset productiuus caloris, non esset maior ratio cur Deus ad præsentiam ignis calorem produceret, quam frigiditatem. Non vrget hæc ratio, quia sicuti tenemur recurrere ad naturam agentis, cum à nobis queritur cur ignis sit productiuus caloris, & non frigiditatis, sic qui dicunt agentia naturalia per se non esse operatiua ad eandem naturam recurrerent, & dicerent ex natura ignis provenire, vt Deus ad præsentiam illius debeat vt auctor nature potius calorem, quam frigiditatem producere. Potest tamen vrgeri hæc ratio, quia si tota virtus actiua existeret penes Deum nihil operante causa secunda, cur Deus ita decreuisset certos effectus producere, plantas, verbi gratia non nisi post tam laboriosam hominis culturam, post pluuiam de celo missam, quæ omnia in casum Deus decreuisset ad effectum à se producendum præire, cum illis non expectatis æquè bene effectus posset à Deo produci.

Vltimò eandem conclusionem probò. Effectus potest dependere a principio passiuo creato: ergo ab effectiuo. Respondebis Deum non posse pati effectum, & ita virtutem passiuam dandam esse necessariò in creaturis, posse tamen illum efficere, quapropter virtus actiua necessaria non est in alio præter Deum. Contrà: virtus actiua Dei non opponitur cum virtute actiua creaturarum: ergo ex eo quod Deus actiue possit operari, non infertur creaturam hac virtute actiua carere, statuo ergo virtutem actiuam Dei non esse fundamentum ad negandam virtutem actiuam creaturæ, & hoc posito, arguo à paritate prædicta. Virgeo: in creatura inuenitur tota proportio, quæ potest excogitari requisita ad aliam producendam: neque fundamentum est ad negandum hanc illi productiuam inesse, aliàs tota Philosophia clamitat illam in creaturis concedendam esse, perpetua sensuum experientia idem demonstrat: eliminanda ergo est sententia, quæ virtutem hanc creaturis denegat, vel tota euertenda Philosophiæ disciplina.

Demum, vt doctè meditatur Soar. disp. 18. Metaphys. sect. 1. virtus hæc ex sacra Pagina haud obscure colligi videtur, Genes. 1. num. 11. *Germinet terra herbam viuentem*, & num. 24. *Producat animam viuentem*, &c. Ex quibus verbis colligit Basil. hom. 9. res virtutem productiuam accepisse, Et Marth. 4. ait Christus: *Aliud cecidit in terram bonam, & dabit fructum.* Et infra: *Aliud terra fructificat primam herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum, &c.*

PUNCTVM III.

De virtute operatiua accidentium.

I **P**RIMA CONCLUSIO. Substantia habet virtutem intrinsecam, & immediatam productiuam accidentium in se ipsa: ita Soar. disp. 18. Metaph. sect. 3. Hurtad. disp. 9. sect. 1. subsect. 2. & alij plurimi. Probo hanc conclusionem experientia, qua videmus aquam remoto quolibet alio agente extrinseco reducere se in pristinam frigiditatem, ergo producit frigiditatem in se ipsa. Responderi solet ex lauello aquam frigiditatem in se producere, propter qualitatem quamdam occultam productiuam frigiditatis distinctam à substantia aquæ, quam recipit à generante. Inquiro, vnde hæc qualitas occulta fuit nota? certè ex nullo capite, ac proinde adeo mihi est occulta, vt illam non agnoscam, quam neque lauellus cognouisse debuerat, cum verò substantiam aquæ nouæ, ipsi efficientiam frigiditatis tribuo, & non ignota qualitati, & sine fundamento sic committo. Secundò in actibus vitalibus

libus specialiter probatur hæc conclusio, quo (ad hoc potentis superadditis) immediate ab anima procedere ostendo Controu. 3. de anima punct. 1.

SECUNDA CONCLUSIO. Substantia virtutem habet producendi immediate in alio subiecto extraneo plura accidentia, quæ in se ipsa producit, ignis v. g. potest producere immediate per suam substantiam calorem in ligno eiusdem rationis cum calore in se ipso producto. Probo hæc conclusionem: calor productus in ligno, & igne, est eiusdem rationis: ergo continetur uterque calor secundum suam entitatem in virtute intrinseca ignis, alias calor contentus in virtute intrinseca ignis non petit ex se immanenter produci cum saltem ab alio calore posset produci transuenter, neque modus transuenter operandi excedit virtutem intrinsecam ignis: ergo poterit ignis non solum immanenter, sed etiam transuenter calorem producere, præcipue cum nullum sit fundamentum ad negandum igni hæc virtutem transuentem producendi calorem, quem potest immanenter producere.

TERTIA CONCLUSIO. Ignis, qui virtutem habet producendi calorem in ligno non impeditur calore, quem in se habet ut talem calorem producat in subiecto extraneo. Hanc conclusionem exprimo contra Arrag, asserentem disp. II. sect. 2. subsect. 1. n. 14. ignem habere virtutem producendi calorem in subiecto extraneo, nihilominus naturaliter non posse illum producere, quia impeditur proprio calore. Meam conclusionem probo, & Arragam impugno principio illis satis familiari. Quoties dux causæ, quarum quælibet virtutem habet ad effectum producendum approximatur passo, in quo effectus est producendus, utraque attemptat suum concursum, & effectus ab utraque procedit, sed calor, & ignis habent virtutem ad producendum calorem in subiecto extraneo, & æquæ uterque applicatur subiecto: ergo effectus ab utroque procedit, per concursum attemptatum, qui inadæquate procedat ab igne, & inadæquate à calore, & ab utroque adæquate. Respondet Arrag. calorem esse causam magis proportionatam ad producendum alium calorem. Contra: Hæc maior portio gratis confingitur ab Arrag, non enim ex eo quod calor sit magis similis alteri calori, est magis proportionatus ad productionem illius, cum proportio inter causam, & effectum non consistat in similitudine, ut patet in omnibus agentibus æquiuocis, sed in virtute ad agendum, quæ excellentior est in agentibus æquiuocis: ergo maior portio admittenda non est. Sed esto maiorem proportionem habeat calor, quam ignis ad producendum calorem transuenter, nihilominus ignis habet proportionem ex se sufficientem ad illum producendum, quia si non impediretur proprio calore illum produceret, ut fatetur Arrag. ergo etiam si calor ignis maiorem proportionem habeat, calor magis proportionatus & ignis minus proportionatus calorem producent. Probo consequentiam: causam esse proportionatam ad effectum producendum nihil aliud est, quam habere virtutem ad illius productionem exhibendam: ergo esse magis proportionatam erit habere maiorem virtutem: sed non ex eo quod hæc causa habeat maiorem virtutem quam illa, impeditur causa, quæ habet maiorem virtutem, ne effectum producat quem alias potest producere, imò causa quæ ex se non habet virtutem adæquatam, audita aliâ, quæ virtutem adæquatam habet, concurrat ad effectum, quem se sola præstare non poterat: ergo causa minus proportionata, quæ alias sufficientem proportionem habet ad effectum producendum non impeditur causa magis proportionata, ne effectum producat, potius illa adiuta facilius, & celerius illum producat. Vtgeor: absente calore proprio ignis produceret calorem in ligno: ergo etiam præsentem calorem. Probo consequentiam: virtus actiua ignis, neque capacitas passi non minuitur per præsentiam caloris, quia utraque virtus non distinguitur à substantia ignis, & passi, quæ absente, & præsentem calorem eadem est: neque calor potest impedire actionem ignis: ergo. Calorem non posse impedire actionem ignis sic probo: vnam agentem tantum potest impedire actionem alterius, quatenus producit, vel intendit producere effectum impossibilem cum effectu producendo ab alio, vel quatenus præoccupat actionem alterius: sed calor non potest impedire influxum ignis primo modo, quia uterque intendit eundem effectum producere, non præoccupando actionem alterius, seu subiectum per effectum à se productum, quia hæc actio procedens à calore, & non ab igne in illo

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. 1.

instanti temporis applicato debet supponere ex parte actus primi aliquid, ratione cuius Deus cum suo principio ad hanc actionem concurrat, & non ad aliam cum alio comprincipio applicato, cum enim in priori natura antequam intelligatur aliqua actio procedens ab hoc agente præoccupante, seu impediante actionem alterius, supponatur utrumque principium actiuum exigens actionem, ad hoc ut Deus cum hoc principio actiuo, & non cum illo concurrisset dicatur, assignandum est ex parte huius principij aliquid ratione cuius illi debita sit actio adæquate ab illo procedens, impediens actionem processuram ab alio principio, vel ab utroque, in quam alterum principium propendebat, quod assignari non poterit, quia maior virtus ex parte caloris, etiam si admittatur, non exigit ut minori virtuti ignis penitus denegetur influxus, quia minor virtus non alia maiori absorbetur, sed potius adiuvatur, ut nuper dicebam.

QUARTA CONCLUSIO. Plura accidentia transuenter producta indiuisibiliter producuntur de facto ab alio accidenti, & substantia, v. g. calor in aqua ab igne, & à calore existente in igne. Hæc conclusio ex præcedentibus manifeste inferitur, probavi enim ignem, & calorem existentem in ipso virtutem habere ad producendum calorem in aqua, & ostendi vnum non posse impedire actiuitatem alterius, ex quo manifeste inferitur utrumque in actionem prodire, quotiescumque calor simul cum igne applicatur subiecto capaci recipiendi calorem.

Obijci. contra hanc conclusionem. Si accidens haberet virtutem producendi accidentia in subiecto extraneo, sequeretur aquam nimis calidam producturam frigiditatem in manu, quia etiam si frigiditate careret, ipsa per se posset frigiditatem producere: consequens autem est contra manifestam experientiam, quæ constat quodlibet passum aqua calida calefieri. Diceret aliquis aquam calidam non posse producere frigiditatem in subiecto extraneo, quia prius debet propriam frigiditatem amissam recuperare, quam extraneam producere, cum magis propendat in frigiditatem intrinsecam producendam quam in extrinsecam aliam, & ipsa sibi propinquior sit, quam cuiusque extraneo passo. Non placet hæc solutio, quia agens potest agere in passum distans qualitate intensam, dummodo aliquam in propinquius, est remissiorem ratione maioris contrarij producat: sed aqua calida semper aliquam frigiditatem in se habet, quam producit, seu conseruat: ergo media illa poterit frigiditatem producere in passo sibi propinquo. Respondeo aquam non producere frigiditatem in manu, quia impeditur calore, quem in se habet, qui calorem in eadem manu producit, & cum hæc non possit simul moueri duplici motu contrario non potest recipere frigiditatem ab aqua, quia recipit calorem ab alio calore aquæ inherente. Neque solutio hæc displicere debet ex eo, quod accidens, v. g. calorem inherente in aqua actiuitati substantiæ præferamus, docemur enim experientia calorem inherente ferro, vel lapidi aquam calefacere, & hanc remouere à conseruatione frigiditatis innatæ, præualereque contra illius virtutem actiuam.

QUINTA CONCLUSIO. Accidens existens absque consortio alijs substantiæ valet aliud accidens producere. Patet hæc conclusio in aqua calefacta, cuius calor calorem producit aqua non adiutus, quæ caloris productiua non est, neque alio agente extrinseco, quia omni alio semoto calefit passum applicatum calori in aqua recepto.

Ex hac conclusione contra præcedentem argumentum desumunt nonnulli: calor ex se absque substantia sufficiens est producere calorem in subiecto extraneo: ergo. necessum non esset substantiam habere virtutem producendi calorem in extraneo subiecto. Euinceret hoc argumentum si probaret non posse esse duplicem causam productiuam eorumdem effectuum in specie: illud retorqueo: calor sufficiens est producere calorem: ergo necessum non est lucem habere virtutem productiuam caloris, & sic in omnibus effectibus posita vna causa, à qua possunt produci, superfluent reliquæ, & ita exterminandæ erunt. Respondeo posito calore potente calorem producere in rerum natura, non esse necessarium substantiam ignis habere virtutem productiuam caloris, ut sit calor in rerum natura, esse tamen valide utile ignem talem virtutem habere ut calor possit à pluribus causis produci, quod sufficit ut virtus illa productiua caloris in subiecto extraneo superflua non sit.